



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 165. Pontificis de hoc sermone, aliisque querelæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

**Sæcul. XV.** quæ Patres in caussa Joannis agebant,  
A.C. 1415. tanquam unico fulcro innitebantur. Hæc  
 que fuit origo illius controversiæ ex tunc  
 tanta jam animorum contentione agita-  
 tæ, nimirum, utrum Concilium sit supra  
 Papam, nec ne? Partitus est sermonem  
 suum in duodecim propositiones, quarum  
 postrema est; *Ecclesia non habet efficacius  
 medium ad generalem sui ipsius reformatio-  
 nem, quam generalium, & Provincialium  
 Conciliorum continuationem.* Pariter o-  
 stendit, Ecclesiam vel generale Concilium  
 sine expresso consensu, vel Pontificis man-  
 dato etiam Canonice electi, & sancte vi-  
 ventis mandato congregari potuisse &  
 posse in pluribus casibus, quales sunt jux-  
 ta hunc Auctorem: *Si Papa accusatus,  
 & evocatus sit, ut audiat Ecclesiam, &  
 ipse renuit contumaciter Ecclesiam convo-  
 care.* Alius casus est. *Si materia gra-  
 ves concernentes regimen Ecclesiæ, veniunt  
 terminandæ per generale Concilium, & Pa-  
 pa renuit contumaciter illud evocare.*

### §. CLXV.

*Pontificis de hoc sermone, aliisque  
 querelæ.*

Pander  
 Hardt tom.  
 4. p. 67.

**D**e eadem quæstione Parisiensis Aca-  
 demia nonnullas vulgavit proposicio-  
 nes, quas tamen non omnes Synodus ra-  
 tas

tas habuit, cum earum quædam duriores sæcul. XV.  
 essent, nonnisi ad irritandos animos in- A.C. 1415.  
 structæ. Ceterum Oecumenici Concilii  
 auctoritatem, prout Gersonius proposue-  
 rat, Pontifice superiorem esse, omni stu-  
 dio comprobare nitebatur. Displicuere  
 Pontifici ejusmodi asserta, de quibus id-  
 circo apud Legatos Franciæ, eum nomi-  
 ne Concilii invisentes, graviter conque-  
 stus est. Idem omnibus Curiæ suæ Mi-  
 nistris, ut infra sex dies Scaphusiam ve-  
 nirent, scripto imperat; Epistolam quo-  
 que apologeticam ad Aureliæ Ducem,  
 & Parisiensem Academiam mittit, qua  
 Imperatorem & Synodum apud Gallos in  
 invidiam adducere tentat. Scribit et-  
 iam in eandem sententiam ad Galliarum,  
 & Poloniæ Reges, aliosque complures  
 Principes. Nonnullæ ex hisce literis ad  
 ipsos Concilii Patres remittebantur, un-  
 de conjicere primum est, eas in Princi-  
 pum animis exigui admodum ponderis  
 fuisse.

### §. CLXVI.

#### *Archiepiscopi Rhemensis ad Synodum relatio de Papæ consiliis.*

Biduo post Rhemensis Archiepiscopus, Niem. tom. 3  
 qui cum ceteris ad Papam decerne- p. 398.  
 batur, e legatione sua reversus est. Ad  
 ejus relationem excipiendam Generalis

F f 4                   indi-